

# ORATIONES DICENDÆ CUM SACERDOS INDUITUR SACERDOTALIBUS PARAMENTIS

**Indulgentia centum dierum pro singulis orationibus.  
Pius Pp. XII, 14 Januarii 1940**



**Cum lavat manus dicat:**

Da, Domine, virtutem manibus meis ad abstergendam omnem maculam; ut sine pollutione mentis et corporis valeam tibi servire.



**Ad Amictum, dum ponitur super caput, dicat:**

Impone, Domine, capiti meo galeam salutis, ad expugnandos diabolicos incursus.



**Ad Albam, dum ea induitur:**

Dealba me, Domine, et munda cor meum; ut, in sanguine Agni dealbatus,  
gaudiis perfruar sempiternis.




**Ad Cingulum, dum se cingit:**

Praecinge me, Domine, cingulo puritatis, et extingue in lumbis meis humorem  
libidinis; ut maneat in me virtus continentiae et castitatis.



**Ad Manipulum, dum imponitur brachio sinistro:**

Merear, Domine, portare manipulum fletus et doloris; ut cum exsultatione recipiam mercedem laboris.



**Ad Stolam, dum imponitur collo:**

Redde mihi, Domine, stolam immortalitatis, quam perdidi in praevaricatione primi parentis; et, quamvis indignus accedo ad tuum sacrum mysterium, merear tamen gaudium sempiternum.



**Ad Casulam, dum assumitur:**

Domine, qui dixisti: Jugum meum suave est et onus meum leve: fac, ut istud portare sic valeam, quod consequar tuam gratiam. Amen.